

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Florilegium

**Bernegger, Matthias
Samesius, Wilhelm Otto**

[S.l.], 1626

[urn:nbn:de:bsz:31-142071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142071)




88A

75041

R





FLORILEGIUM

EX Q. CURTII HI-
STOR. LIBRO

3. 4. 5. & 6.

Quod

CHRISTO DUCE ET

AUSPICE CHRISTO,

Sub

UMBONE.

Viri Clarissimi

DN. MATTHIÆ BERNEG-
GERI, IN INCLYTA ARGEN-

TORATENSIVM UNIVERSITA-

te Historiarum Pro-
fessoris.

Autor

WILHELMUS OTHO SAMESIVS,

Hoingà Wetteravus,

Publicè addidit & defendet

Mense Aprili

Lucretius lib. 3.

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant:

Omnia nos itidem depascimur aurea dicta:

Aurea perpetuâ semper dignissima vitâ.

ARGENTORATI,

Typis RIHELIANIS,

Anno M. DC. XXVI.

ak

88A 75041R

AD

ILLUSTRES AC
GENEROSISSIMOS CO-
MITES AC DOMINOS

DN. WILHELMUM OTHONEM, Comitem in Ysen-
burg & Büdingen.

DN. FRIDERICUM, Comitem in Solms / Dominum in
Wünzenberg / Wildenfels & Sonnenwald /
Comites meos Clementissimos:

Nec non
ad

*Clarissimos, Consultissimos, Doctissimos, variarumque
rerum usu experientissimos:*

DN. JOSIAM GLASERUM, in Republ. Argent. XV. Vi-
rorum Ordinis Amplissimi Syndicum & Confiliarium.

DN. JOHANNEM EBERHARDUM *Schmid* / Comi-
tatus Hoingatici Praefectum eminentissimum.

DN. THEOPHILUM DACHTLERUM apud Sena-
tum Argentoratensem Referendarium dignissimum.

DN. JOHANNEM JOACHIMUM FRANCISCUM,
Amplifs. D. D. Quindecimvirovum Secretarium dex-
terrimum:

DD. Mæcenates, Patronos, Promotores, Cla-
rissimos atque Charissimos, omnique
observantia cultu prosequendos.



CARMEN DEDICATORIUM.



Mod nunc audacter miraris pulpita scandam.

Crede me m̄ rogitō.

Acer ut ad palmas per se cursurus honores

Nobilis ambit equus:

Sic mea mens gravibus de rebus dicere quiddam

Nititur in cathedrā.

Possim Lauriferos Parnassi invisere colles,

Ruraque Castalia.

Hoc ubi continget mihi verè quid magis opto,

Ut cumulem studia.

Ab sit honos procul, absit, non his appeto talem.

Et neque Gloriam.

Non ego sum talis, nec prorsus talia curo.

Doctior hac habeat.

Illa mihi vellim mundi concederet auctor.

Se subito facies

Pro votis modo purgavit tristissima mundi,

Sustulit atque nivem.

Lator ego cernens quod jungit sudus Apollo

Aureolasque comas.

Ritè que am nostrum prefixum condere cursum,

Nec trepidè faciam.

Nos etenim stimulat dulci sermone subinde,

Curtius ingenuus.

Dum de rebus Alexandri perfortiter actis,

Scripta diserta dedit.

Armiger & fallax miles serè tempore nostro,

Nil nisi bella crepat.

Es monet atque docet quo praelia more cienda,

Militis officio.

*Urbes obsideat miles armisque repugnet,
Fraudeque vique probet
Is fuit in pompâ, pompâque manebit in illâ,
Mundus ubi fuerit.
Insignis, celebris, prae cellens, splendet honore,
Stentor & altisonus.
Quodve decem libris praeclare Curtius effert,
Ordine disposito
Ex quibus & nostros flores excerpimus omnes,
Sertaque nexuimus
Eximio qua semper habentur odore referta,
Commoda quaque gerunt.
Ethnica confiteor quoque plurima scripta referre,
Impia non fateor.
Sunt etenim apta operi: qua non sunt, ista relinquo,
Ut gravis auctor ait.
Sic formare stylum si vis, hos perlege flores
Suppetit ingenio.
Excinde & scriptis habito discrimine nullo,
Insere cuncta tuis.
Elige, qua rebus sunt commoda, & utere rectè:
Practica materia est.
Hoc studium quàm conducatur, res ipsa loquatur,
Ilicet hic fileam.
Est sophia, est inquam sophia, hanc intellige; doctum
Quae facit ac agilem.
Vos igitur Comites Illustrique ordine nati,
Eloquio celebres,
Vos Macenates generis splendore corusci,
His studiisque graves,
Et mea qua manant vota hac de mente serena,
Accipitote rogo.
Fronteque, qua cudi longè latio ore, benignâ,
Continuâ serie.
Artibus usus inest, res omnis discitur usu,
Vos scio, scire satû,*

Eripui

Eripui requiem nocte optatumque soporem
Sedulitate meâ,
O mihi si liceat tantum captare favorem,
Nomen ad astra feram.

Clem. V.

snbjectissimus,

Glar. V.

addictissimus,

Wilhelmus Otho Samecius.



A 2

FLORILEGIUM CUR- TIANUM.

Sententia I.

Disciplinæ militaris pars est præcipua, ut ad nutum
momentis intenti milites, sequantur signa, ordines
servent: quod imperatur, omnes exaudiant: norint
obfistere, circuire, discurrere in cornu, mutare pu-
gnam, &c. Lib. 3. cap. 2.

2.

A bono milite alienum est auri argenti que studium: quip-
pe disciplina illa paupertate magistrâ stat, dum fatigatis humus
cubile est: cibus, quem occupant, satiat: tempora somni arctio-
ra, quàm noctis sunt. c. 2.

3.

Fortuna plerumque corrumpit naturam etiam illorum
Principum, quibus aliàs mite ac tractabile ingenium est. c. 2.

4.

Magnates quidam vetitatis impatientes, maximè que uti-
lia suadentibus infesti. c. 2.

5.

Qui licentiâ regni subitò mutantur, documentum sunt,
homines, cum se permisere fortunæ, etiam naturâ dediscere. c. 2.

6.

Anxios de instantibus curis, agitant etiam per somnum
species imminentium rerum: siue illas ægritudo, siue divinatio
animi præfagientis accersit. c. 3.

7.

Imperium ad eos transire solet, quorum arma (mores,
vestes, linguam) imitamur. c. 3.

8.

In benè compositâ militiâ equi virique non auro, non di-
scolori veste, sed ferro atque ære fulgent: agmen & stare para-
tum

tum est & sequi: nec turbâ, nec sarcinis prægrave: intentum ad
ducis non signum modò, sed etiam nutum: & castris locus, &
exercitui commeatus suppetit. 3. c. 3.

9.

Cùm quantavis multitudo, loci, in quo pugnatur, angu-
stis redigatur ad paucitatem; numerofo exercitui planities
campiq; exiguo angustia sunt ad pugnam eligenda. 3. c. 4. & 7.

10.

Quondam salubre consilium serò exequentes, animam a-
ctionum Occasionem ignorant. 3. c. 4.

11.

Ut præstat, sterile ac nudum solum, quod tueri nequeas,
relinquere, illud igne ferròque vastare, & quicquid usui esse po-
test, corrumpere, ut hosti solitudinem facias; ita perabsurdum
est, populatorem esse terræ, quam à populationibus vindicare
debueras. 3. c. 4.

12.

Non indecorum est, Principem, virum militarem, veste
depositâ, in conspectu agminis, in flumen descendere, & aquâ
corpus abluere, suisque sic ostendere, levi ac parabili cultu cor-
poris esse se contentum. c. 5.

13.

Vel mori strenuè, quàm tardè convalescere, melius est.
3. cap. 5.

14.

Satius est, alieno mori scelere, quàm metu proprio. 3. c. 6.

15.

Aliquas conscientia notas in ipso ore cujusque deprehen-
dere licet. 3. c. 6.

16.

Ingenita gentibus quibusdam est erga Reges suos venera-
tio charitasque. 3. c. 6.

17.

Quibus præstò est ubique fortuna, iis temeritas in gloriam
cedit. 3. c. 6.

18.

Quæ leviora haberi solent, plerumque in re militari gra-
tiores

tiorem vulgo Principem faciunt: ut exercitatio corporis inter ipsos milites: cultus habitusque paululum à privato abhorrens: militaris vigor: queis vel ingenii dotibus, vel animi artibus, charus pariter ac venerandus Princeps efficitur. 3. c. 6.

19.

Sub unum fortunæ ictum totas vires regni cadere nunquam Rex sapiens patitur. 3. c. 8.

20.

Nemo stolidum consilium capite luere debet; quippe defuturi sunt qui suadeant, si suasisse periculum sit. 3. c. 8.

21.

Non melioris fidei habentur, Consilarii, qui prudentius suadent. 3. c. 8.

22.

Famâ bellum stat; & is, qui recedit, fugere creditur. 3. c. 8.

23.

Cùm ultimi discriminis tempus adventat, in sollicitudinem verti fiducia solet. 3. c. 8.

24.

Illam ipsam fortunam, qua aspirante res prosperè gessisti, verere; ex his, quæ tribuit tibi, quam mutabilis ea sit, reputans. 3. c. 8.

25.

Destinata salubriter, omni ratione potentior fortuna discutit. 3. c. 8.

26.

Ubi partes labant, summa turbatur. 3. c. 8.

27.

Pugnacissimi quique, & in subsidiis, & in fronte locandi sunt. 3. c. 9.

28.

Major alacriorque clamor exercitus, augurium est victoriæ. 3. c. 10.

29.

Inhibendi milites, ne impensius ob nimiam festinationem concitato spiritu capebant prælium. 3. c. 10.

Acies

30.
Acies auro purpurâque fulgens, prædam, non arma, gesta-
re videtur. 3. c. 10.

31.
Egregiâ morte defunguntur, qui in acie ante oculos Re-
gis, adverso corpore vulneribus acceptis, in ora proni, sicut di-
micantes, procubuerunt. 3. c. 11.

32.
In fugam consternati, arma jaciunt, quæ paulò antè ad tu-
telam corporum sumptferant: adeò pavor etiam auxilia formi-
dat. 3. c. 11.

33.
Idem metus, qui cogit fugere, fugientes moratur. 3. c. 11.

34.
Qui libertatis in admonendo Principe jus habent, id ita
debent usurpare, ut magis ab eo permiffum, quàm à se vindi-
catum videatur. 3. c. 12.

35.
Quorum animo nondum se fortuna superfudit, modera-
tè prudentèrque eam ferunt: ad ultimum tamen ejus magnitu-
dinem non capiunt. 3. c. 12.

36.
Victoris interest, quantum in victos sibi liceat, si id poti-
ùs clementiâ, quàm sævitiâ vult esse testatum: 3. c. 12.

37.
Fælicitatis magnum est in bello momentum, cui non ab-
re confiditur. 3. c. 13.

38.
Adversa fortuna Principum, etiam humilimis in ipsos li-
centiam facit. 3. c. 13.

39.
Proditores dii celeriter cum debitis pœnis prosequuntur,
3. cap. 13.

40.
Nondum belli cladibus fatis domiti, novum imperium
aspènantur: subacti, obedienter imperata faciunt. 4. c. 1.

B

41.
Impia bella suscipiunt, qui, cum habeant arma, licitantu
hostium capita, & percussores in ducem emunt. 4. C. 1.

42.
Dii quoque pro meliore stant causâ. 4. C. 1.

43.
Animi magni est, spernere quod alii per ignes ferrumque
petunt. 4. C. 1.

44.
Majus est, regnum fastidire, quam accipere. 4. C. 1.

45.
Causa paupertatis, plerisque probitas est. 4. C. 1.

46.
Nihil habenti nihil deest. 4. C. 1.

47.
Temporarium ingeniorum est, ex ancipiti mutatione
fortunæ pendere. 4. C. 1.

48.
Omnia experiri necessitas subigit: quippe cum primas
spes fortuna destituit, futura presentibus videntur esse potiora.
4. C. 1.

49.
Gentes vanæ, novandis quam gerendis rebus aptiores
sunt. 4. C. 1.

50.
Quædam consilia non ratione prudentiora quam eventu
feliciora sunt. 4. C. 1.

51.
Eadem ubique fortuna partium. 4. C. 1.

52.
Magna bella in spem totius orbis occupandi (vanam om-
nino) geruntur. 4. C. 1.

53.
Manantis sanguinis guttæ in pane & locis inconsuetis aliis
notatæ, in fausto omine non carent. 4. C. 2.

54.
Caduceatores hostium contra jus gentium occiduntur.
4. C. 2. Ducem

55.
Ducem, tractandi militares animos haudquaquam rudem,
nil verat, astutia quadam, ut speciem in somnis oblatam fingendo,
ac superstitionem injiciendo, milites circumscribere. 4. c. 2.

56.
Hostium infectatio militum alacritatem accendit. 4. c. 2.

57.
In adversis rebus solet fieri, ut alius in alium culpam referat. 4. c. 3.

58.
Fortiùs, quicquid accidit, ferimus, si charissimam nostri partem (conjuges liberòsque) extra communis periculi fortem habemus. 4. c. 3.

59.
Ad deteriora credenda proni metu sumus. 4. c. 3.

60.
Sacrum, quo puer ingenuus Saturno immolabatur, diis minimè cordi, imò sacrilegium veriùs erat quàm sacrum. 4. c. 3.

61.
Humanitatem dira supersticio vincit. 4. c. 3.

62.
Efficacior omni arte imminens necessitas, non usitata modo præsidia, sed quædam etiam nova admovet. 4. c. 3.

63.
Urbe captâ, qui in templa confugiunt, servandi. 4. c. 4.

64.
Legatis ad hostes nostros missis parcendum. 4. c. 4.

65.
Magna Imperia fluctuantis orbis anchora quasi sunt: quomodo urbes multis casibus defunctæ, & post excidium renatæ, postea tamen longâ pace cuncta refovente, sub tutelâ Romanæ mansuetudinis acquieverunt. 4. c. 4.

66.
Nunquam diu eodem vestigio stat fortunæ: semperque homines, quantamcunque felicitatem habeant, invidiam tamen sentiunt majorem. 4. c. 5.

67.

Nihil difficilius, quam in ætate juvenili magnam capere fortunam. 4. c. 5.

68.

Leges à victoribus dici, à victis accipi par est. 4. c. 5.

69.

Sic sunt ingenia temporaria: captant auram incertæ famæ, ut, quocunque pendentes eorum animos tulerit fortuna, sequantur. 4. c. 5.

70.

Mos egregius est, arcana Regum cum fide celare: ut non metus, non spes eliciat vocem, qua prodantur occulta. Nec improbandum eorum institutum, qui silentium vitæ periculo sanxerunt, & linguam gravius castigârunt quam ullum probrum. 4. c. 6.

71.

Non magnas res creditur ab eo sustineri posse, cui tacere grave est, quod homini facillimum voluit esse natura. 4. c. 6.

72.

Cunctatio hostium, nostra occasio. 4. c. 6.

73.

Inevitabile fatum. 4. c. 6.

74.

Virtutem etiam in hoste miramur. 4. c. 6.

75.

Devictarum (atque adeo quarumvis exterarum) gentium militi minor quam domestico fides habenda. 4. c. 6.

76.

Quibus avarè & superbè imperitatur, ad spem rerum novarum erigunt animos. 4. c. 7.

77.

Nil temerè ex patrio more mutandum. 4. c. 7.

78.

Fortuna quos uni sibi credere cogit, magnà ex parte avidos gloriæ magis quam capaces facit. 4. c. 7.

79.

Celebritas urbium, cum condi cæperunt, omnibus ferè Sum-

Sum-

80.

Summus dux præsens haud dubiè potentior author est impigrè bellum capessendi; quod ægrè per præfectos suos molietur. 4. c. 9.

81.

Inopià debellari potest nil habens, nisi quod rapiendo occupârit. 4. c. 9.

82.

Unius hominis (regnandi cupiditate bella gerentis) jactatione, tot millium sanguinem impendi, iniquum est. 4. c. 10.

83.

Nulla res multitudinem (militarem, atque adeò quamcunque aliam) efficacius regit quàm superstitio; alioquin impotens, sæva, mutabilis, ubi vanà religione capta est, meliùs vatibus quàm ducibus suis parer. 4. c. 10.

84.

Non sunt promissis (præmiorum de occiso proditore Principe) imbuendæ militum aures; patet vel unius insidiis Princeps: nihil nefas avaritiæ. 4. c. 10.

85.

Miseri hominis, qui didicit esse infelix, auribus non parcendum: cum sæpè calamitatis solatium sit, nosse sortem suam. 4. cap. 10.

86.

Amantis animus in sollicitudinem suspicionemque revolutus, deteriora faciliè credit. 4. c. 10.

87.

Periculosum est prægrave imperium: difficile est continere quod capere non possis. Vidèrne ut navigia, quæ modum excedunt, regi nequeant? Sunt qui ideò tam multa amiserunt, quia nimis opes, magnæ jacturæ locum faciunt. 4. c. 11.

88.

Magnanimi Principis est, ut de paupertate securus, nihil habeat venale: sed fortunam suam utique non vendat. 4. c. 11.

89.

Captivos in bello, si placet reddi, honestiùs dono dabimus, quàm precio remitemus. 4. c. 11.

B 3

90.
Non adversus calamitates, sed adversus vires hostium cō-
tendendum est. nec bellum cum captivis & faminis gerendum.
Armatus sit oportet quem oderimus. 4. c. 11.

91.
Nec mundus duobus Solibus potest regi: nec duos summa
regna salvo rerum statu possunt habere. 4. c. 11.

92.
Milites suæ quemque nationis copias jungere, quam plu-
res gentes in exercitu misceri præstat. 4. c. 12.

93.
Haud rarò pavor, cujus causa non subest (panicum terro-
rem vocant) exercitum invadit: unde lymphati trepidant, o-
mnium pectora occulto metu percurrente. 4. c. 12.

94.
In bello pleraque inania, sicut fremitus hominum, equo-
rum hinnitus, armorum internitentium fulgor, sollicitam ex-
pectatione mentem turbant. 4. c. 13.

95.
Vanis & inanibus miles magis quàm justis formidinis cau-
sis movetur. 4. c. 13.

96.
Hostes intempestà nocte opprimere, latruncolorum &
furum solertia est: quorum votum unicum est, fallere. Dux
verò cordatus, gloriæ suæ furtum noctis obstare non patitur:
palàm luce aggreditur hostem: mavultque, ut se fortunæ pœni-
teat, quàm victoriæ pudeat. 4. c. 13.

97.
Vultu ducis interrito, certam spem victoriæ milites au-
gurantur. 4. c. 13.

98.
Nullum desperationis hostium majus indicium est, quàm
si urbes, si agros suos urunt, quicquid non corruperint hostium
suorum esse confessi. 4. c. 14.

99.
In bello nomina vana gentium ignotarum non extime-
scenda. Nec enim ad belli discrimen pertinet, qui quomodo ap-
pellen-

pellentur. Ob id ipsum, quòd ignoti sunt, ignobiles sunt. Nunquam ignorantur viri fortes: at imbelles ex latebris suis eruti, nihil præter nomina afferunt. 4. C. 14.

100.

Desperatio fortes reddit, cum pervenitur unde fugere non possis, ac iter in patriam & penates manu faciendum est. 4. C. 14.

101.

Saluti præponenda libertas. 4. C. 14.

102.

Fama bellica, infirmissimum adversus fortes viros telum, contemnenda est. 4. C. 14.

103.

Temeritas ubi primum impetum effudit, velut quædam animalia amisso aculeo, torpet. 4. C. 14.

104.

Semper gravior in paucitate jactura est. 4. C. 14.

105.

Nihil potest esse diuturnum, cui non subest ratio. Licet felicitas aspirare videatur: tamen ad ultimum temeritati non sufficit. 4. C. 14.

106.

Breves & mutabiles vices rerum sunt: & fortuna nunquam simpliciter indulget. 4. C. 14.

107.

Imperia magno motu concutiens Deus, Principes admonet fragilitatis humanæ, cujus nimia in prosperis rebus oblivio est. 4. C. 14.

108.

In prælio effugit mortem quisquis contempserit: timidissimum quemque ea consequitur. 4. C. 14.

109.

Milites imitantur ducem, sive fortitudinis exemplum, sive ignaviæ fuerit. 4. C. 14.

110.

Contempto sarcinarum impedimentorumque damno, fortiter

fortiter dimicandum, nec ad ea servanda quicquam virium ex
acie subducendum. Nam si acie vicerimus, non nostra solum re-
cuperabimus: sed omnia quæ hostium sunt occupabimus. 4. c. 15.

111.

Præcoci gaudio fortuna non irritanda. 4. c. 15.

112.

Aquila, haud dubium victoriæ auspiciam. 4. c. 16.

113.

Boni ducis est, malle hostibus insequentibus iter dare,
quàm auferre fugientibus suis. 4. c. 16.

114.

Ubi intravit animos parvor, id solum metuunt, quod pri-
mum formidare cæperunt. 4. c. 16.

115.

Dubio adhuc pugnae eventu, pro victore se gerere, victo-
rem facit. 4. c. 16.

116.

Fugientes prudentius quàm avidius persequendi. 4. c. 16.

117.

Vulnera quæ quisque excipit in prælio, indicia virtutis
sunt. 4. c. 16.

118.

Non speciosa dictu, sed usu necessaria, in rebus adversis se-
quenda sunt. 5. c. 1.

119.

Ferro geruntur bella, non auro: Viris, non urbium relictis:
omnia sequuntur armatos. 5. c. 1.

120.

In urbibus tutius est, pluribus locis ædificia spargi, nec o-
mnia contigua esse. 5. c. 1.

121.

Vetustas non opera solum manu facta, sed etiam ipsam
naturam paulatim exedendo perimit. 5. c. 1.

122.

Nihil disciplinæ militari magis nocet, quàm si stationes
habentur in urbe moribus corruptâ, & ad irritandas illicien-
dâsque

dasque immodicas voluptates instructâ. Nam inter hæc flagitia,
saginaturs exercitus, ad omnia discrimina haud dubiè debilior
est futurus. *f. c. 1.*

123.

Magnorum præfectorum & ducum incrementa sunt &
studimenta, si Persarum veteri more, Procerum liberi Regibus
ad custodiam corporis tradantur: qui inter epulas Regi mini-
strent: qui equos ineunti prælium admoveant: qui venantem
comitentur: & vigiliarum vices ante cubiculi fores servent.
si cap. 1.

124.

Brabeutæ, præmiorumque diribitores meminerint, agi
rem in conspectu populi, qui sit testis cujusque factorum: & de
judiciis ipsis ferat sententiam. Quippe verone an falso honos
cuique habeatur, ignorari non potest. *f. c. 2.*

125.

Quamvis equites in suam quemque gentem, seorsim à
ceteris describi consulum est: præfectos tamen, exëpto nationū
discrimine, non utique suarum gentium, sed delectos, attribui
præstat. *f. c. 2.*

126.

Mos Persarum probus & reverentiæ plenus, quo nefas est
filio, in conspectu parentum consistere, nisi cum illi permise-
runt. *f. c. 2.*

127.

Haud sanè temporum homo est, quisquis ultima pro fide
experiri decrevit. *f. c. 3.*

128.

Multarum urbium victores, in obsidione castelli exigui
& ignobilis hære coacti, obsessis quantumvis deprecantibus,
veniam non ab re denegant. *f. c. 3.*

129.

Fortibus viris miserrimum non est interire: sed inultos, fe-
rarum ritu velut in foveâ deprehensos cædi. *f. c. 3.*

130.

Optimos quosque duces, exercitiis temerè in angustias
conjecti, aut quomodocunque in discrimen non necessarium

adducti, non dolor modò, sed etiam pudor angit. *s. c. 3.*

131.

Boni duces erubescunt, insepultos dimittere milites, ita tradito more apud gentes bellicosas, ut vix ullum militiæ tam solenne esset munus, quàm humandi suos. *s. c. 4.*

132.

Fide digniores, qui oculis quàm qui auditu comperta habent quæ dicunt. *s. c. 4.*

133.

Ignaviam quoque necessitas acuit, & sæpè desperatio spei causa est. *s. c. 4.*

134.

In Principe res magnas agitante nulla virtus magis quàm celeritas laudanda. *s. c. 5.*

135.

Optimè miserias ferunt, qui abscondunt: nec ulla est tam familiaris infelicibus patria, quàm solitudo, & status prioris oblivio. *s. c. 5.*

136.

Qui multum in suorum misericordiâ ponunt, ignorant quàm celeriter lacrymæ inarescant. *s. c. 5.*

137.

Nemo fideliter diligit, quem fastidit, nam & calamitas querula est, & superba felicitas. Ita suam quisque fortunam in consilio habet, cum de alienâ deliberat. Fortunati semper parrem quærunt. *s. c. 5.*

138.

Dignus est omni malo, qui erubescit fortuita. *s. c. 5.*

139.

Nil patriâ charius est. *s. c. 5.*

140.

Consuetudo naturâ potentior. *s. c. 5.*

141.

Exemplum Regis cæteri imitantur. *s. c. 6.*

142.

In deditos nil gravius consulendum. *s. c. 6.*

Immo-

145.

Immoderata vini cupiditas quantumvis ingentia animi
bona fædat. *f. c. 7.*

146.

Nuper subacti, novum imperium aspernantur. *f. c. 7.*

147.

Ignavi hominis est, pluris qualemcunque vitam honestâ
morte æstimare. *f. c. 8.*

148.

Proditores & transfugæ in pretio sunt, non herculè quia
honore digni habeantur; sed ut eorum præmiis, aliorum etiam
animi sollicitentur. *f. c. 8.*

149.

Qui, quàm versatilis fortuna sit, documentum ipsi sunt,
non immeritò mitiores vices ejus expectant. *f. c. 8.*

150.

Si justa ac pia bella dii averfantur: fortibus tamen viris
licebit honestè mori. *f. c. 8.*

151.

In rebus asperis aspera consilia capienda, Nam & medici
graviore morbos gravibus remediis curant: & gubernator,
ubi naufragium timet, jacturâ, quicquid servari potest, redimit
f. cap. 9.

152.

Fortium virorum est, magis mortem contemnere, quàm
odisse vitam. Sæpè tædio laboris ad vilitatem sui (h. e. ad *αυτοχρησία*)
compelluntur ignavi: at virtus nihil inexpertum omittit.
Itaque ultimum omnium mors est, ad quam non pigrè ire
satis est. *f. c. 9.*

153.

Adeò humanis ingeniis parata simulatio est, ut etiam par-
ricidis in proclivi sit, lacrymas pœnitentiæ indices profundere,
preces suppliciter admovere, eumque quem perditum volunt,
venerari. *f. c. 10.*

154.

Eludant licet quibus forte ac temerè humana negotia

C 2

volvi agique persuasum est: equidem æternâ constitutione crediderim nexûque causarum latentium, & multo antè destinatarum, suum quæque ordinem immutabili lege percurrere.
s. cap. 11.

155.

Difficilius est Principi, damnare suos populares, quàm ab iis decipi; mavultque, quicquid fors tulerit, inter suos perpeti, quàm alienæ fidei se permittendo, transfuga fieri. *s. c. 11.*

156.

Non est mirandum, mercede conductum omnia habere venalia: hominemque sine pignore, sine lare, terrarum orbis exulem, ancipitem hostem, ad nutum licentium circumferri.
s. cap. 12.

157.

Principe suorum insidiis petito, nonnunquam eò rerum venit, ut tam periculosum sit, non credere suis, quàm decipi. Si namque damnatâ popularium suorum fide, salutem suam exteris credat, parricidio excusatio videtur offerri. Est autem præoptandum, ut immeritò quàm jure violemur. *s. c. 12.*

158.

Falluntur, qui proditi Principis, à Principe præmium expectant. Violatæ fidei nemo acrior vindex & ultor est. *s. c. 12.*

159.

Destinati sorti suæ, nullius salubris consilii patientes sunt.
s. cap. 12.

160.

Custodiæ Regis assuetos, ejus salutem vel periculo vitæ tueri oportet. *s. c. 12.*

161.

Alieno scelere mori, quàm à semetipso interimi, fatius est. *s. c. 12.*

162.

Fortunæ ludibrium est, non honos, aureis compedibus Regem vinciri. *s. c. 12.*

163.

In corpore ducis hostium posita est victoria nostra: quod dum

dum non potimur, non est debellatum. *s. c. 13.*

164.

Nomen magni ducis, & fama, maximum utique sunt in bello momentum. *s. c. 13.*

165.

Ultionem occisi proditive Principis, successorem non solum suam, sed exempli, omniumque Principum causam, non negligere, illi cum decorum, tum utile futurum est. *s. c. 13.*

166.

Solent in Aula dissentire ab animis gratulantium vultus: sed res magnas gerere cupienti, opus est decipi. *lib. 6. c. 1.*

167.

Magnorum Principum ministris quanquam fortuna rerum in bello bene succedentium placet, si tamen ex majores sunt quam quas ministri modus capiat, invidiam haud ab re metuunt. quippe Princeps, ut suos hostes vinci vult: ita ministrum hunc illumve propter victoriam celebrari, ne tacitus quidem indignatur: sed interdum voce, imò re non obscure livorem prodit, suam demptum gloria existimans, quicquid cesserit alienae. *6. c. 1.*

168.

Animi militarium rerum quam quietis otiique patientiores, ut primum instantibus curis laxati, voluptatibus se dedunt; quos arma non fregerant, vitia vincent. *6. c. 2.*

169.

Parco ac parabili victu ad implenda naturae desideria defungendum. *6. c. 2.*

170.

Excellentem formam pudor honestat. *6. c. 2.*

171.

Rumor, otiosi militis vitium. *6. c. 2.*

172.

Incerta valde possessio terrarum est, quas magna velocitate quis domuit. *6. c. 3.*

173.

In novo & precario imperio, adhuc jugum ejus rigida cer-

C 3

vice subeuntibus Barbaris, tempore opus est, dum mitioribus ingeniis imbuuntur, & efferatos mollior consuetudo permulcet. Fruges quoque maturitatem statuto tempore expectant: adeo etiam illa sensus omnis expertia, tamē suā lege mitescunt.
6. cap. 3.

174.

Gentes alterius imperio ac nomini assuetas, non sacris, non moribus, non commercio linguæ nobiscum coherentes, eodem prælio domitas esse quo victæ sunt, nequaquam credendum est, armis victoris continentur, non suis moribus: & qui præsentēs metuunt, in absentia hostes erunt. *6. c. 3.*

175.

Suis quisque placidius parent, etiam cum is præest, qui magis timeri potest. *6. c. 3.*

176.

Sicut in corporibus ægris nihil quod nociturnam est medici relinquunt: sic Principi, quicquid obstat imperio, recidendum. *6. c. 3.*

177.

Parva sæpè scintilla contemptra magnum excitavit incendium, Nil turò in hoste despicitur: quem spreveris, valentiorē negligentiā facies. *6. c. 3.*

178.

Princeps custodiam corporis sui contra jus fasque peregrino militi tradit, damnatà popularium fide. *6. c. 4.*

179.

In præcipiti & lubrico stantibus, consilium è præsentī necessitate repetendum est. *6. c. 4.*

180.

Nihil est miseris mortalibus spiritu charius, cujus amore etiam ad ultima propelluntur. *6. c. 4.*

181.

Non est timendum, ne fidem datam Rex magnanimus violat: Deus à diis falli non solet. *6. c. 4.*

182.

Patria est, ubicunque vir fortis sedem elegerit. *6. c. 4.*

Omni-

185.

Omnibus barbaris (non præter rationem) in corporum
majestate veneratio est; magnorumque operum non alios ca-
paces putant, quàm quos eximiâ specie donare natura dignata
est. 6. c. 5.

186.

Continentia & moderatio in altissimâ quaque fortunâ
eminentia sunt bona. 6. c. 6.

187.

A victoris insignibus in devicti transire habitum, omni-
nosum est. 6. c. 6.

188.

Liberis pretium servitutis ingratum est. 6. c. 6.

189.

Ne seditione populus agitur, expedit otium inter-
pellare quandoq; bello, cujus materia opportunè alenda, 6. c. 6.

190.

Viri magnanimi semper difficultatibus obluctantur, ver-
santque se ad omnes cogitationes, aliud atque aliud (ut solet, u-
bi prima quæque damnamus) subjiciente animo. 6. c. 6.

191.

Hæsitanti, quod ratio non potuit, sæpè fortuna consilium
subministravit. 6. c. 6.

192.

Vivicomburium, suppliciorum ultimum est. 6. c. 6.

193.

Par est, ministros, captarum urbium (aliarumque rerum
in bello præclarè gestarum) titulo, Principi cedere, ad eumque
ut auctorem & ducem omnia referre. 6. c. 6.

194.

Externâ vi non tuti modò Principes, sed invicti, sæpiùs in-
testino facinore petuntur. 6. c. 7.

195.

Insidias Principi comparatas etiam cum perjurio dete-
gere oportet. Nec enim fidem in parricidium dedimus: nec ul-
lâ religione, ut tantum scelus tegamus, constringi possumus.
6. cap. 7.

Ministri

195.

Ministri Principum suorum auribus nimia jactatione virtutis atque operæ graves sunt, & ob ea non quidem sceleris, sed contumaciæ suspecti. 6. c. 8.

196.

Non debes, quisquis es Principum, ignoscere machinatione perniciem vitæ tuæ. Ille enim semper insidiari tibi poterit: tu non semper ipsi potes ignoscere. Nec est, quod existimes, eum qui tantum facinus ausus est, veniam posse mutari. Scit eos, qui misericordiam consumpserunt, amplius sperare non posse. Adde, quod quædam beneficia odimus. Meruisse mortem, confiteri pudet. Superest ut malit videri injuriam accepisse, quam vitam. 6. c. 8. (Hæc Craterus ingerit Alexandro, insidiatori Philotæ ignoscere volenti. Sed aulica argumenta sunt, quæ suspicionibus & conjecturis, id est, perpetuo paralogismo nituntur. Nos illud Senecæ probamus magis, 1. de clem. c. 11. Clementia non tantum honestiores, sed tutiores præstat; ornamentumque imperiorum est simul & certissima salus.)

197.

Latus à domesticis insidiatoribus muni, Princeps: hos si submoves, nihil propemodum est quod metuas ab externo, 6. cap. 8.

198.

In suo quemque periculo magnum animum habere oportet: at cum de Principis salute timetur, credulius debemus, ac vana quoque deferentes admittere. 6. c. 8.

199.

Nihil potestas Regum valet, nisi prius valeat autoritas. 6. cap. 8.

200.

Avida spes regni præcipitem animum ad ultima scelera agit. 6. c. 5.

201.

Orbitas Principum, quod sine liberis sunt, spernitur, (& ad res novandas impellit.) 6. c. 9.

Viden.

202.

Videntur sibi partem viscerum suorum abrumpere, qui in
eos, in quos magna contulerunt, viliores sibi faciunt. *6. c. 9.*

203.

Linguae temeritas pervenit ad gladios. *6. c. 9.*

204.

Qui à sermone patrio abhorrent, æquè à moribus patriis
abhorreere censendi sunt. *6. c. 9.*

205.

Verba innocenti reperire facile est; modum verborum
misero tenere difficile. *6. c. 10.*

206.

Vincti hominis non supervacua solum, sed etiam invisa
defensio est, quæ judicem non docere videtur, sed arguere.
6. cap. 10.

207.

Maligna calamitas est: & ferè noxius, cum suo supplicio
cruciat, acquiescit alieno. *6. c. 10.*

208.

Nemo parcat morituro, nec cuiquam moriturus. *6. c. 10.*

209.

Parricidæ & proditori, alti quies somni non facile contingit.
Scelerati quippe, conscientia obstrepente, quum dormire
non possint, agitant eos furia, non consummato modo, sed &
sogitato parricidio. At securitatem affert innocentia. *6. c. 10.*

210.

Fides amicitia, verique consilii periculosa libertas, vos
haud paucos decepistis. *6. c. 10.*

211.

Macedonum lege cautum erat, ut propinqui eorum, qui
Regi insidiari essent cum ipsis necarentur. Sed prudenter edixit
Alexander, hanc se supplicii legem conjunctis Philotæ remitte-
re. *6. c. 11.*

212.

In quaestionibus verone an mendacio liberare se cruciatu

D

ortus vbluerit, anceps conjectura est: quoniam & vera confes-
sis, & falsa dicentibus, idem doloris finis ostenditur. 6. c. 11.

213.

Non homines solùm, sed etiam deos despicit, qui postu-
lat Deus credi: estque ea superbia nec diis, quibus se talis exa-
quat, nec hominibus, quibus se eximit, tolerabilis 6. c. 11.

214.

Scelerati, dum inficiantur facinus, crudeliter torqueri
videntur: post confessionem ne amicorum quidem misericor-
diam merentur. 6. c. 11.

F I N I S.



AD DN. RESPONDENTEM.

A Nne mathematicus fallit, ceu retur inane
Vulgus, ut astrologi rofor & ofor ait,
Verba dat insipiens, idiotas, complice vulgus.
Vera mathematicus nunciat, ajo sagax.
Quicquid, Samesi, de te pradixerat olim,
Prodis id ingenii dexteritate tui.
Historicum tua lingua refert vultusque poetam,
Te Themidos mystam spes fore res memorat.

Jeremias Tesserarius Elyf.

F I N I S.



2

AD BI RESPONDETEM

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



